

1487 confectis, oppidi Rovereti in Alpium angustiis laxiore paulo atque aperte loco positi, suburbanis ædificiis di-reptis, pugna etiam cum præsidiariis militibus commissa, defenso municipio ad prædam & populationem sese con-vertunt: eaque facta, in vicinos oppido pagos tumultuo-se militem recipiunt. Hac re nunciata Senatus decrevit, ut & veterani milites, qui in Carnis & Taurisanis, qui-que in Gallia hyemaverant, omnes illico Veronam con-venirent, & delectu statim habito novi milites conscribe-rentur: creatisque ad id confestim legatis Petro Diedo Veronæ præfecto, Hieronymo Marcello, dat negotium, ut ex usu reipublicæ bellum administrent. Julium etiam Cæsarem, qui regnum in Camertibus obtinebat, copiarum reipublicæ imperatorem, accersitum ex Umbria eo-dem contendere magnis itineribus jubet.

*Rovereti op-pugnatio.*

Interea Germani ad oppugnationem Rovereti, iis quæ bello essent usui celerrime comparatis, & castris ad oppidum positis, tormentorum vi, quibus maxime abundat ea natio, muros quatere atque dejicere instituunt. Id cum plures dies labore non intermisso fecissent, ac magna murorum partem aperuissent, neque Venetus impe-rator, qui jam eo venerat, propter Germanorum magnum numerum repellere hostem posset, saepe oppugnare omni missilium telorum genere scalisque ad murum posi-tis adorti, saepe cum clade repulsi, postremo oppidum capiunt. Eis in oppugnationibus unum eorum teli genus maxime oppidanos terruit, de quo propter novitatem præ-tereundum non videtur. Pilas ferreas non magnopere co-harentes, picis atque bituminis plenas, igne inclusa tor-mentis muralibus impellebant. ex pilæ muro impactæ in-fringebantur, ac plures in partes dispergebantur, quibus ex singulis ignis prosiliebat acri cum flamma, sic, ut quæque earum pars quantumvis parva hominem corri-pe-ret: pice autem illisa retinebantur, ne excuti, ne ve-rejici possent. ita siebat, ut neque in muro consistendi, neque quæ opus essent administrandi, neque se defenden-di militibus facultas daretur. Quod ubi semel atque ite-rum

*Pila igni-  
vomæ.*